Vniverſitas creaturarum eſt perfecta.

FLuxit ab antiquo quicquid Natura creavit;
  Tunc enixa ſemel, nil parit indè novi.
Omne Chaos noſtris impendit prodiga rebus,
  Nil ultrà, nobis quod tribuatur, habet.
Produxit Cœlos, varióſque reduxit in orbes,
  Illáque Sideribus templa colenda dedit.
Proximus his vacuâ ſemper dominatur in Aulâ
  Ignis, & extremo tutus in orbe ſedet.
Orbus agit locus ille, & fervidus uſque calore
  Non ullis placidus civibus eſſe velit.
Non ita tutatur ſedes animabilis Aer,
  Crebra ſed innumerâ verbera ſentit Ave.
Implentur Maria indè immanibus omnia Phocis,
  Plurimus ínque omni flumine Piſcis agit.
Vltima ſubſidit Tellus fæcunda Metallis,
  Et meritò venis turgida divitibus.
Hæc homines alit, immenſi pars infima mundi.
  Proxima ſed ſuperis civibus illa ſuis.
Hic Pecudum genus, hîc ſublimis ſurgit in auras
  Arbor, & hîc vario Flore renidet humus.
Omnibus his ſuus eſt decor, & præſtantia juncta;
  Nec Natura operi defuit ipſa ſuo.
Hæc rerum ſumma eſt; quicquid ſucceſſerit iſtis
  Monſtrum erit, haud juſti parturientis opus.
Indè quidem ignotis ſemper tumet *Africa* monſtris,
  At Species vidit terra nec illa novas.
Fecerat hæc Natura, placéntque, ait, omnia nobis:
  Dixit, & hîc poſito fine reſignat opus.
Vnica morborum manet infinita propago,
  Neſcio an his unquam terminus ullus erit.
Exoritur nova ſemper, & ævo ignota priori
  Exercet Medicos exitioſa lues.
Arte potens, herbíſque potens, *Podalirius* heros
  Diſcit, & heu nimiùm jam piget eſſe ſenem!
Scilicet his noſtrum ſcelus, & malefacta Parentum,
  Ablatáſque *Iovis* pendimus arce faces.
Hinc terræ incubuêre, & noſtros arte malignâ,
  (Ah nimis antè breves) corripuêre dies.

Non datur motus gravium ſimpliciter naturalis.

PRincipio immenſi cùm primùm exordia mundi
  Ceperunt, proprias retinebant ſingula vires,
Pulchráque diſcordi conſtabat machina nexu.
Haud placuit; ſed contiguis quæ ſedibus eſſent,
Officiis junxiſſe juvat; litémque diremit
Hanc melior natura, & amico ſingula vinclo
Nexuit, alterníſque agitat ſub legibus orbem.
Indè ſuas peragunt partes, ut ſemper in unum
Conſpirent inter ſe cuncta, vicéſq; miniſtrent.
Iam cedunt ſua jura, & jam ſua jura repoſcunt,
Alternóſque juvant æterno fœdere motus.
Nam quanquam tellus, & qui circumfluit humor
Preſſa ſuâ gravitate ferantur ad ultima mundi,
His cedit tamen, impellítque, & fortiùs aer
Poſt tergum glomeratus agit. Nil prorſus ab uno
Principio fluit, at varios referuntur in ortus
Omnia; diverſíſque authoribus omnia ſurgunt.
Sic quos conſuetâ (quis enim non noverit iſtam)
Miſeris arte globos, agit huc vis concita dextræ,
Huc trahit exigui flexura volubilis orbis,
Huc ſubjecta aliò deflectit at area curſu.
Sic ubi in attonitas exercet fulmina ſylvas
Iuppiter, illa quidem *Vulcania* tela rubenti
Dextrâ impulſa ruunt; ſed & hæc gravitate premuntu
In terram propriâ, ſed & hæc agitabilis aura
Promovet ipſa, *Iovique* operam non præſtat inanem.
Quippe ſibi conſtans natura; nec illa repentè
Accelerare fugam, nec tardo incedere greſſu
Suevit, at æqualem ſemper ſervare tenorem;
Nunc verò ex alto quoties crepitante ruinâ
Grando cadit, multo aut deſcendit *Iuppiter* imbre,
Quò propiùs terræ accedit, velociùs alas
Concitat, & tenuem perlabitur ocyùs auram.